



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,
Africam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1619

Cap. LVII. De Graeciae & Patriarchatus Constantinopolitani statu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11108

Smolenscum hodie tenent Poloni , cum magna parte Moscouiae.

De Characteribus Moscouiticis , qui è Græcis sunt deprauati , vide suprà capite 42.

CAPUT LVII.

DE GRAECIAE ET PA-
triarchatus Constantinopolita-
ni statu.

Græcia , omnium penè artium ac scientiarum olim inuentrix accultrix , hodie maximā ex parte Turcarum tyrannide oppressa iacet. Veneti partem aliquam possident , sed ferè in mari , vel ad mare. De hodiernis Græcorum moribus scribit fusè Bellonius , Observationum lib. I. cap. 3. & sequentibus. Græcanicarum Ecclesiarum statum sub Imperio Turcico , iam inde ab expugnata Constantinopoli usque ad hæc tempora , fusè describit Martinus Crusius in suâ Turco-Græciâ , sed cautè legenda.

In ipsa vrbe Constantinopolitana ho- *Caffaluci.*
dieque multi viuunt homines Christiani ,
ritus Latini , quos vulgo *Caffalucos* vocant
ex opido Caffa per Mahometem Turcarum
Regem eò translati : & possident templum
S. Nicolao sacrum.

I

In

In vrbe Pera, quæ non nisi canali seu si-
nu maris à Constantinopoli est seiuuncta,
præter Legatos Principum Christiano-
rum, aliquot millia viuunt è nostris. Ibi-
dem Franciscani, Dominicani, Carmelita,
& Benedictini sua habent monasteria ac
tempula.

Benedictinorum Abbatia, B. Mariæ Sis-
tra, iam inde ab anno 1449. subest Congre-
gationi Cassinensi, seu S. Iustinæ de Padua,
& plurimos habet redditus ac prædia in di-
tione Genuensi.

Habent item Peræ Collegium, ac scholas
cùm Græcas tum Latinas, Patres Soc. Iesu;
idque beneficio Henrici IV. Galliæ Re-
gis, Græcanicis porrò Ecclesijs vnuſ olim
Patriarcha Constantinopolitanus præside-
bat: hodie verò plures Græcanici per Orien-
tem Patriarchæ existunt: nimurum Constan-
tinopolitanus, qui Constantinopoli; Alexan-
drinus, qui Caſri; Damascenus, qui Damasci; &
Antiochenus, qui Antiochiæ ſedem habet. De
quibus ſic Bellonius lib. i Obſeruationum c.
35. Licet Græcanicæ Ecclesiæ caput, Patriarcha
nuncipatus, Constantinopoli ſedem habeat, ple-
rique tamen alij idem nomen, ſimilemque pot-
ſatem obtinent in ijs prouincijs, quibus preſum.
Nam Patriarcha Alexandrinus abſolutam
potſatem habet in eos, qti Græcos ritus obſer-
uantes in AEgypto & Arabia viuunt, magniſ-
6af.

casque in Memphi, siue in Cairo habet aedes, quas vidimus, aedibus Patriarche Constantiopolitani (quae peculiari nomine Patriarchatus nuncupantur) non multum inferiores. Alius Patriarcha Damasci residet, qui absolutè imperat omnibus monasterijs & hominibus Græcam religionem amplectentibus, Syriamque incolentibus: isque cogitur singulis annis adesse decima quinta die Augusti, in monasterio supra montem Libanum, ut istuc Liturgiam celebret. Est præterea alius Antiochiæ, qui monasterijs & alijs Christianis Græcis præest, qui Barut, Tripolim, Haleb, aliaque plurima Asia loca inhabitant. Turcarum Imperator hos Patriarchas sua religione uti permittit, modo tributum persoluant. Dicitur verò Constantiopolitanus pro monasterijs in monte Atho sitis alijsque per Europam sparsis, duodecies mille ducatos aureos pendere. Porro cum istorum Patriarcharum quispiam è viuis excescit, Episcopi & Metropolitani, qui nostrorum Cardinalium instar sunt, consueunt, ut alium eligant. Perpendendum autem est neminem Patriarcham creari posse, nisi primùm Metropolitanus fuerit, quod cum Pontificalia constitutione ferè conuenit. Hactenus Bellonius. Qua verò ratione Patriarcharum Byzantij, Alexandriæ, Antiochiæ, & Iero-

I 2 lymo-

132 DE STATV RELIG. CHRIST:
lymorum, itemque Archiepiscopi Iustinianæ primæ (quæ vrbes omnes sub Imperio Constantinopolitano fuere) designatio quondam fieri soleat, Curopalates explicat libro de Officialibus Palatij Constantino-politani.

CAPUT LVIII.

DE CYPRO, CHIO, ALIISQUE *insulis maris AEgæi.*

IN maris AEgæi insulis plurimæ passim viuunt familiæ Christianæ, ritus Latini, Græcis ac Turcis mixtæ: quibus sacra fere administrant Patres Franciscani, aut Dominicani. In Chio vrbe numerantur decem circiter millia hominum, nostræ Religionis ac ritus: quibus Episcopus Latinus præst, à Romano Pontifice confirmatus. In eadem vrbe Residentiam habent Patres Soc.

I E S V.



DE